

2719

C O D I C E S

2720

ptum et lectum ab ipsis *domino abbate laudante* receptum fuisse. Sermo uterque prolixus et bonae frugis est, quem si nossent PP. *Bollandiani*, dubio procul, quae hic adnotavimus, ad diem VII. kal. Septembr. T. V. *Ab. SS. Mensis Aug.* p. 790. suis quoque de *Irenaeo* et *Abundio* Commentariis inferuissent.

DCCLI.

296 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 116. f. probe scriptus, rubricis distinctus, bonaeque notae foliis IV. praevis sequentia continet Fragmenta: *Primo.* Sermonem de Dedicatione Ecclesiae, qui incipit: *Quoniam ad dedicationem presentis basilicae hodie deuote conuenistis* &c. Est is *Ivonis Carnotensis*, qui Seculum, quo Codex scriptus videtur, vivendo adtigit, habeturque in ejus *Opp. Paris.* per *Job. Frontonem* 1647. P. II. p. 269. f. sed in *Cod.* versus finem locus integer ab his verbis: *Hujus enim templi non manufacti tunc vera* &c. usque ad haec: *His igitur breuiter declaratis* &c. excidit. *Secundo.* Sermo inscriptus: *De sacramentis neophytorum*, cujus initium: *Quoniam populus ad fidem vocatus uisibilibus sacramentis* &c. itidem *Ivonis* P. II. p. 259. sed in *Cod.* non nisi ad verba: *quid agere deberent, admonuit dicens: Ite docete omnes gentes. predicate euangelium omni creature. Qui crediderit* &c. se porrigit. *Tertio.* Notitia brevis *Litaniarum* tam minorum quam ma-

jorum, cujus initium: *Letania grece latine dicitur rogatio* &c. Pars prior constat narratione *Gregorii Turonens.* de *Gestis Franc.* quam *Amalarius Fortunat.* in *Libri I. de Eccl. Offic. c. 37.* transtulit; posterior adhortatione *Concilii Aurelian.* quam habes in *Ivonis Decreto* P. IV. c. 40. paucis tamen mutatis. *Quarto.* Tractatio similis de *Pentecoste*, quae incipit: *Pentecostes grece latine dicitur quinquagesima dies.* Nam a *dominica pasce computantur quinquaginta dies usque in illam dominicam que est LXma* &c. Neque in *Iuone*, neque in aliis Scriptoribus *Off. Eccl.* qui ad manum sunt, inuenio. *Quinto.* Tractatio similis de *Natali Christi*, quae incipit: *Vigilie que a pastoribus in sacrosancta nocte natalis domini custodiebantur* &c. Pars prior ex *Ordine Rom.* et *Alcuino de diu. Off.* deprompta est; Altera trium *Missarum* significatum, autore nescio quo, exponit. *Sexto.* Solvuntur binae *Quaestiones.* Prior: *utrum prespiteri excommunicati uel erethici possint dominicum corpus consecrare?* Altera: *si rectum sit quod campana cum sint res inanimatae a quibusdam crisnantur?* Utraque ex sensu Catholicorum. *Septimo.* Prolixus *Hieronymi* locus ex *Epistola ad Furiam de Servanda Viduitate.* Incipit: *Iunguntur ordines nostri* &c. Extat *Opp. edit. Vallerf. T. I. col. 280.* *Octavo.* Sermo inscriptus: *de Oratione dominica.* Initium: *Duo sunt karissimi que principaliter attendere debet humana circumspectio* &c. Est *Ivonis*

nis

nis XXII. p. 300. sed in *Cod.* jam linea 26. deficit. *Nono.* Praemissis quibusdam de *Deo, Malo, libero Arbitrio et Peccato* Sententiis sequitur Fragmentum *LXV. Quaestionum Orosii* cum Responis *Augustino* suppositis, ut jam alibi. Initium hic: *In principio fecit deus celum et terram. Quem alium principium intelligendum putamus nisi filium &c.* Et jam in *Quaest. XX.* abrumpitur his verbis: *Ecce qualis caro regnum dei non possidebit.* His praemissis sequitur:

Fol. 5. Opus magistri hugonis (de S. Victore) in *iberarchias. sancti dionisii episcopi. de differentia mundanae theologiae atque divinae. et de ministracionibus earum. Incipit prologus. Iudei. Signa. Querunt. et greci sapientiam. Fuit enim quedam sapientia &c.* Qui primus *Latinorum* in mystica haec *Pseudodionysii* Scripta commentaretur, *Hugo* noster fuit, usus interpretatione *Johannis Scoti*, quam *Cod. CCXVII.* produximus, quaeque in praesenti *Cod. Hugonis* explanationi praetexta non est, ut factum in *Edit. Opp. ejus Rothomagi* 1648. T. I. p. 469. f. Ab hac editione parum cetera abludit Exemplum nostrum, nisi, quod *Περιολεγομενα* seu *Librum I.* aptius dividat in *VI. Capita*, quam Editores *Victorini*, qui *V.* censent. Ab his enim verbis: *Hierarchia ex greco interpretatum sacer sonat principatus &c.* certe nova oritur tractatio, quae in *Cod. nostro* recte minio inscripta est: *Quid sit iberarchia. et dispositionis illius ratio et exordium.* Ad operis cal-

cem adjecit Librarius: *Explicit Expositio Magistri hugonis et prepositi. Sancti victoris. Super librum primum. Ierarchiarum Dionisii Ariopagite.* Negant alii *Praepositum* fuisse, sed, ut vides, *Codex* Autoris seculo scriptus adfirmat.

Fol. 111. Explanatiua sententia in cantica sal. (omonis) Articulis *VIII.* constat, quorum dabo initia. *I. Equitatu meo in curribus Pharaonis &c.* Agitur de diversis *Curribus.* *II. Tria habet sponsus diuiciarum suarum quasi gazophylacia. &c.* *III. Leua eius sub capite meo &c.* *IV. Epitalamium canticum amoris admonet &c.* *V. Secundum hos tres status in bec cantica canticorum &c.* *VI. Primus confictus est timoris dei &c.* *VII. Beati pauperes spiritu. Noli nimis esse sollicitus &c.* *VIII. Septem principaliter modis euangelium dicitur bonum nuncium &c.* Qui duo ultimi nihil ad *Cantica Salomonis.* Et tamen subjecit Librarius: *Expliciunt super epitalamium sententiae dilucidate.* Ut meam de iis sententiam depromam, ad *Miscellanea* pertinere arbitror, quae *Victorini* T. III. *Opp. Hugonis* a pag. 91. inferuere, quamvis ab eorum *Codicibus* abfuisse videantur; ovum enim ovo similius esse nequit. Num vero *Miscellanea* ista omnia ad *Hugonem* pertineant, vide, quae contra obmouet *Oudinus* T. II. col. 1152. tota illa *Editione Rothomagensi* parum contentus. Itaque de nova, sincerioreque cogitaturus *Codicem* hunc nostrum nequaquam negliget.